DE
SYNDICATVS
INSTRVMENTIS GANERBIORVM
SVBSIGNANDIS
PROGRAMMA

QVO
AD
ORATIONEM AVSPICALEM
MAGNIFICVM PRORECTOREM
ILLVSTRISSIMOS COMITES
PROCERES ACADEMIAE EXCELLENTISSIMOS
EIVSQVE CIVES HONORATISSIMOS EA QVA PAR
EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE PER-
OFFICIOSE AC PERAMANTER
INVITAT

D. IOANNES GEORGIVS ESTOR
P. P. O.

IENAE,
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.
cIↃIↃCCXXXV.



§. I.



A eſt iuris noſtri prudentiſſima diſpoſitio, vt nemo alterius procurator, *) niſi ex eius mandato **) eſſe poſſit, praeſertim ſi poſtulet ſibi dari actionem. Cuius rei non vna proſtat ratio & ita ſtatuendi fundamentum facile apparet ſingulis. Qui enim fieri poteſt, vt illud, quod ſuum non eſt, in iudicium deducat aliquis, inuito domino, quo is de re ſua laboret? Accedit & hoc, quod ea ratione reus in periculum fruſtra detrudatur, ac ſi contingat, vt hic abſoluatur, eluſorium pro-

*) Erat honor romanis per procuratorem poſſe litigare, vt ex lege vltima C. *de iniuriis* concludit vir ſummus ANTONIVS SCHVLTINGIVS in *iurisprudentia vetere ante-Iuſtinianea* p. 222. n. 3. Conſtituebatur vero procurator mandato, vt patet e lege I. pr. D. *de procuratoribus*, a praeſente, abſente, verbis, litteris, per nuncium, teſtante PAVLLO libro I. *ſententiarum* titulo III. §. 1. & L. *vlt.* D. h. t.

**) confer virum ingenii elegantia & iudicii acrimonia valentem, NICOLAVM HIERONYMVM GVNDLINGIVM in *digeſtorum* libro III. titulo III. §. X. p. 297.

profecto euadat iudicium, si repetatur. Immo fac reum condemnari in hoc iudicio, in quo procurator absque mandato postulat; finge porro ipsum soluere; certe non liberabitur ab eo, cuius nomine procurator agere fuit ausus. Hinc recte iureconsultorum princeps, GERARDVS NOODT *) quocunque, ait, litis fortuna inclinet, rei captio est, si actoris nomine postuletur, nec mandatum adferatur. Ex quibus sequitur, vt, si procurator absque mandato agere connitatur, & de mandati defectu constet, tunc ille frustra interueniat ex actoris parte, ceu patet e lege XXIV. C. *de procuratoribus & defensoribus.* **)

§. II.

Vnum ergo ante omnia debet obseruari vtrum videlicet mandatum sit procuratori? seu quod idem est: numquid ei illa caussa, de qua agitur, sit mandata?

§. III.

Si de mandato constat, sacratissimus legislator iubet cum cura circumspicere de illo, qui procuratori mandatum agendi fuit largitus. Ea est mens legis I. D. *de procuratoribus & defensoribus*, haec est sententia legis XXII. XXIII.

*) In commentario π. ad titulum *quod cuiuscunque vniuersitatis nomine.*

**) De rato qua ratione caueat, disquirit laudatissimus SCHVLTINGIVS p. 224. n. 5. & 6. inprimis rei interest dominum, siue eum, ad quem res pertinet, id, quod procurator agit, ratum fore habiturum, per legem XXXIX. §. 1. 2. 3. D. *de procuratoribus*, ne alioquin reo absoluto victoria effectu destituatur, *pr. Inst. de satisdationibus.* quare etiam praetor iubet hunc procuratorem de rato satisdare boni viri arbitratu lege XXXIII. §. 3. D. h. t

XXIII. & XXIV. C. eodem titulo. Quocirca necesse est, vt procurator, pro alio postulaturus, mandatum habeat ab eo, ad quem ea actio pertinet, hoc est ab illo, qui ante contestatam litem, actionem, de qua lis est, sibi adquisiuit, nec refert, in rem ea sit, siue in personam; post litem vero contestatam, qui eam ex domini mandatu est contestatus. Instituti ratio non fert pluribus haec nunc hic loci persequi, dum cognita satis sunt, & ab innumeris fere inculcata, explicita & vel sexcenties repetita. Adi interea GEORGIVM FRANZKIVM, iureconsultum acutissime cernentem in *commentario ad viginti & vnum libros pandectarum iuris ciuilis priores* p. 152. vbi pariter conclusiones, quae ex his sequuntur principiis, plures enumerat.

§. IV.

His ita fundamenti loco positis, ad propositi rationem propius accedo nimirum ad ipsius mandati procuratorii formam naturamque. Iam vero de hac ab omnibus ad nauseam vsque fuit actum scriptumque, vt nec lectorem fatigare nec chartam perdere nunc non adtineat. Legat, cui volupe fuerit, Marburgensis academiae ac totius Hassiae ornamentum, HERMANNVM VVLTEIVM *de iudiciis* libro II. capite septimo, num. 379. & 380. p. m. 441., ac elegantissimam illustris ESAIAE PVFENDORFII *introductionem in processum ciuilem electoratus Brunsuico-Luneburgici*, parte prima, capite vicesimo §. XIII. sq. p. 169. & 170. *)

 §. V.

*) Adi sis quoque τὸν πάνυ GVNDLINGIVM in *digestis* p. 308. §. 10 & BERGERVM in *oeconomia iuris* p. 963. 964.

§. V.

Ex iis mandati requisitis, quae recensent multa cura pragmatici, illud inter alia facit ad praesens institutum, quod de subscriptione & subsignatione tradunt iureconsulti, dum, vt mandans mandato subscribat subsignetque, volunt. Quamuis laudatissimus PVFENDORFIVS loco iam excitato §. XVI. tum in foro communi tum in foro Luneburgico sigillationem, vt audit, praecise desiderari neget, LAVTERBACHII BLVMIIQVE nixus autoritate.

§. VI.

Haec de mandatu vnius domini, quae etiam de pluribus litis consortibus *) queunt intelligi, monuisse sufficiat. Quod si autem de corpore ex distantibus personis collecto, **) vel vt alii vocant, de persona ficta siue mystica ex pluribus quasi naturalibus abstracta & societatem vel collegium constituente, vno verbo, si de vniuersitate litigante quaestio exoriatur: qua ratione pro hac alius in iudicio agere possit? ***) Tunc ante omnia notandum, quod illa e pluribus quidem colligatur: hoc est enim vniuersitas, vbi plures homines sub certis legibus, publica autoritate ****) coeunt in vnum corpus: sed nihilominus

*) Licet hi pro lubitu vnum, vel quisque suum procuratorem separatim constituere possint, teste IACOBO BLVMIO in *processu camerali* titulo LXXVII. §. 30. 31.

**) Vide legem XXX. pr. D. *de vsurpationibus & vsucapionibus.*

***) Nam qui res illius administrant, procuratores dare non possunt, quum non sint domini, vt bene notat doctissimus IANVS a COSTA ad tit. X. *de syndicis.* Et ipsi tamen vt per se agant, non patitur ratio: sed personas certas habere solent, per quas id peragitur.

****) Vide legem III. §. 1. D. *de collegiis & corp.*

nus a ſingulis, qui in ea ſunt, diſtinguatur: adeo, quum vniuerſitatem dicimus, non intelligamus ſingulos, ſed aliquod ciuile corpus, prorſus vt alia ſit vniuerſitas, alii ſinguli ex vniuerſitate, quos videmus oculis, illam animo concipiamus, oculis non videamus. Vti rectiſſime legem VII. §. 1. D. *quod cuiuscunque vniuerſitatis nomine* explicuere V. V. C. C. GERARDVS NOODT & ANTONIVS SCHVLTINGIVS.

§. VII.

Dein monendum venit, quod VLPIANO, in lege III. D. *quod cuiuscunque vniuerſitatis nomine*, docente, nulli permittatur nomine ciuitatis vel curiae experiri, niſi hoc ei lex permittit, vel lege ceſſante ordo dedit. Vbi lex municipii haud proſtat, tum ad normam legis vltimae D. *de muneribus* §. 13. decreto vniuerſitatis actor conſtituitur ad defendendam agendamue cauſſam certam ac praeſentem, *) qui vocatur ſyndicus **) aut actor, nec eſt procurator, ſed inſtar procuratoris.***) Licet ius canonicum, capit. VII. X. *de procuratoribus*, eam diſtinctionem plane neglexerit, ac procuratores & ſyndicos, hosque verſa vice procuratores promiſcue nominauerit. ****) Nam de ſyndicis conſtat, quod non

*) Minus adcurate FRANZKIVS libro citato p. 158. numero 4. cauſſas futuras huc trahere conatur. Vtut in eadem hæreant ſententia SCVLTINGIVS ad h. t. §. 1. p. 393. nec non GVNDLINGIVS & LEYSERVS.

**) Rationem denominationis erudite, vt ſolet, tradit DESIDERIVS HERALDVS *in animaduerſionibus & obſeruationibus ad ius Atticum & Romanum* libro III. capite X. §. 14.

***) Adde iureconſultum multi iudicii & nominis, AVGVSTINVM LEYSERVM ſpecimine LIV. *meditationum ad pandectas* n. XII. p. 594. 595.

****) Inde cauſſa eſt in aprico, cur iureconſulti practici ſyndicos etiam vocent procuratores, vti factum legimus a LVDOVICO GVNTHERO MAR-

non dentur mandato intercedente, vt procuratores, sed constituantur interposito decreto, teste V. C. ANTONIO SCHVLTINGIO in *enarratione partis primae digestorum* libro III. titulo IV. §. I. p. 393.

§. VIII.

Quum itaque procuratori mandato opus est (§. I. & II.) & quiuis dominus eum sibi constituere debet (§. III.); singuli autem ex vniuersitate, litigaturi tanquam vniuersitas, non sint vt plures, sed tanquam vna persona considerandi (§. VI.): sequitur, vt ea defensore egeat, qui vocatur syndicus (§. VII. nota **), hicque procuratoris instar sit (§. VII.) & aeque ac procurator, nisi mandatu instructus, valide agere nequeat. Ex hisce porro consequum fit, vt syndicus syndicatum in iudicio producere debeat. Non adtinet huius requisita e MYNSINGERO aut VVLTEIO aut BERGERO huc transscribere, quippe nostrum non est, vt, si nouis lectorem recreare nequimus, ipsum protritis atque vulgaribus onerare sustineamus.

§. IX.

Quibus rite positis ac in medium ea, qua fieri potuit debuitque breuitate, prolatis; ad rem ipsam progredi iuuat atque monere libet, moueri interdum lites de syndicatus instrumentis a familiis vnius gentis, principi subiectae, ac priuato ganerbinatus vinculo post hominum memoriam iunctae, datis. Modo enim illa instrumenta valida esse negant,

TINI in *commentario forensi ad Ioannis Georgii I. ordinationem processus iudiciarii* titulo VII. §. 5. n. 66. propterea GVNDLINGIVS loco citato §. I. p. 322. per se liquet, ait, parum interesse, syndicum appelles procuratorem, an minus? quum dominium litis apud nos nullum sit, iure scilicet Germanico.

gant, si communi ganerbinatus sigillo tantum munita, nec subscripta fuerint, nomine senioris familiae adiecto. Modo formulam impugnant subscribendi: Sammtliche N.N. Nunc a singulis eiusdem gentis eam subscribi postulant iudices. Cuius controuersiae, magno agitatae motu, vti decisionem mihi arrogare nequeo; ita meo scribendi genere si molestus esse cuiquam vellem, admodum foret temerarium. Dicam ego quod sentio, mihique videtur vero quam maxime simillimum. Decidant interea iudices ad normam eorum, quae ipsis diua Themis suggesserit, agantque partes suam caussam, quam poterint optime.

§. X.

Constat inter omnes apud Romanos complura floruisse collegia & corpora, quorum larga seges in V. C. IACOBI GOTHOFREDI ad *codicem Theodosianum commentario*, cedro dignissimo, & quidem tomo quinto prostat. Nostrum non est IANI GRVTERI *corpus inscriptionum* vel REINESIVM vel SMETIVM vel FABRETVM expilare, aliosue horum monimentorum loculos, itemque SPANHEMIVM, LIEBIVM, HAVERCAMPIVM, & qui sunt numismatum collectores, excutere quum satis cognita haec sint iureconsultis litteratis *). Nec fugit eruditos collegia licita & ab impera-

 rato-

*) Vide V. C. IOANNIS GOTTLIEB HEINECCII opusculum de *collegiis & corporibus opificum*, capite I. §. IV. & sqq. §. XII. p. 23. 24. 25. §. XX. XXI. p. 39. 40.

ratoribus firmata constituisse vniuersitates & quasi respublicas formasse. Testis est CAIVS in lege I. D. *quod cuiuscunque vniuersitatis nomine.* Quin & syndicum habuisse & actorem, per quem, tamquam in republica, quod communiter agi fierique oporteat, ageretur, fieret, docet lex eadem. Habuerunt autem Germani nostri, habentque hodienum sua corpora & collegia. Inter quirites nec sine decreto illa coire, nec arcam, nec actorem, nec syndicum, nec ad exemplum reipublicae habere res communes poterant, docente lege I. D. *quod cuiuscunque vniuersitatis nomine.* Contra si quae fuerint, dissoluuntur & pro illicitis reputantur lege III. D. *de collegiis & corporibus.*

§. XI.

Germanorum mores si contuemur, inuenies, vt alia huiusmodi corpora nunc sileam, ganerbinatus multos priuato ausu formatos, atque temporis tractu firmatos. *) Referunt Teutones nostri ad vniuersitates licitas collegia tam ecclesiastica, qualia sunt canonicorum, monachorum, monalium, quam ciuilia, quo pertinent

*) De iis enim, qui principis autoritate in vnum coiuerunt, nullus erit nobis sermo, multo minus aliquid dubii. Et quamuis nonnulli cuncta collegia pro illicitis reputent, quae nutu summi imperantis destituuntur, nec eius priuilegiis firmantur; de ganerbinatibus tamen, qui sunt collegia, contrarium testatur experientia.

tinent vrbes, municipia, caſtra, villae, vici, burga, pagi, communitates, ſodalitia, cetera. *)

Haec autem collegia ſigilli communis iure vti poſſe, loquitur experientia, docetque THEODORI HOEPINGKII *de ſigillorum priſco & nouo iure tractatus practicus*, capite quinto.

§. XII.

In eo interea diſſenſum iurisperitorum obſerues, quorum alii vniuerſitatibus exiguis, caſtrisque paruis publici ſigilli autoritatem largiuntur; denegant vero alii, ab ipſo HOEPINGKIO capite quarto n. 66. nominati. Licet hic contra eat, innuatque ſe credere cum Germanorum moribus concordare, & vix obſtare, quo minus eiusmodi paruis ſodalitiis publicam ſigilli autoritatem adſtruamus & concedamus. Verum enim vero ſi excellentiſſimum GVNDLINGIVM conſulas, & § II. libri III. tituli IV. p. 322. *digeſtorum* eius in partes voces, vel cunctas ciuitates priuatorum loco ipſum habere deprehendes.

§. XIII.

Quicquid hic diſſoni in medium proferunt iureconſulti, ego quidem exiſtimo celeberrimum AVGV-

*) Vt bene philoſophantur diligentiſſimus CHRISTOPH. HENR. FREIESLEBEN in *Schützio illuſtrato* p. 243. n. 1125. & HENRICVS BRVNING in *diſſertatione de variis vniuerſitatis ſpeciebus*.

STINVM LEYSERVM speciminis LIV. *meditationum ad π* corollario primo acu rem tetigisse cum QVINTO SEPTIMIO FLORENTE RIVINO in *enunciatis iuris* titulo septimo §. XXXVI. p. 251. 252. *) Quippe qui hoc potissimum obseruare iubent, vtrum videlicet iurisdictione gaudeat vniuersitas, nec ne?

§. XIV.

Quod si nunc ganerbinatus iuris dicendi potestate polleat, tum quidem sigillum commune **) syndicatus instrumento adpositum, sufficiet, nec opus erit subscriptione. Testem huius veritatis qui cognoscere satagit, euoluat magnae autoritatis iureconsultum GEORGIVM ADAMVM STRVVIVM in dissertatione *de iure sigillorum* capite III. membro V. &, qui eamdem doctrinam firmare videtur, HOEPINGKIVM capite XI. n. 294. p. 296. clarius vero capite X. n. 81. p. 220.

§. XV.

*) Viderat iam haecce & recte indicauerat, ICtus in omnium manibus haerens, LAVTERBACH. in disputatione *de syndicis* §. LXXV. LXXVI. LXXVII. docens syndicatus instrumentum subscriptione haud egere, si vniuersitas publico gaudeat sigillo. Secus erit vbi publico nequaquam instructa sit sigillo.

**) Hoc est sigillum ordinarium ac consuetum. Nam vbi appositum fuerit aliud, nullius momenti & roboris iudicabunt syndicatus instrumentum. Immo nec sufficit sigillum, quod nominis ductum implicitum exhibet, vel litteras initiales artificiose cohaerentes sistit. Cuius rei fidem faciunt perillustris dominus de WERNHER volumine III. *obseruatione* CXCVI. p. 515. & RIVINVS *enunciatorum* titulo VII. §. XXI. p. 241.

§. XV.

Et ſubſcriptio eo minus videbitur neceſſaria, ſiquidem moris eſt, vt huiuscemodi ſyndicatus litterae nomine, vt loquuntur, collectiuo, quod certam tamen determinationem complectitur, formentur, ſufficiatque dicere: capitulum, ciuitas, ganerbinatus, reliqua. Dubitantem hac de re conuincet experientia, &, qui eam ſua iamiam corroborauerunt autoritate, MYNSINGERVS libro III. obſeruatione XVIII. atque IACOBVS BLVM in *proceſſu camerali* titulo LXVII. §. 8.

§. XVI.

Aſt quid multa? Admittit auguſtiſſima camera ſyndicatus litteras generales, quas general-gewalt appellare moris eſt, a priuatis ganerbiis, landſaſſiis, vt audiunt, & iurisdictionem exercentibus, datas munitasque ſigillo communi. Nequaquam deſiderans aut vnius aut omnium ſubſcriptionem. Quod ſi ganerbii vel familiae, eiusdem gentis nominisue, iurisdictione patrimoniali ornati, litteras ſyndicatus ſpeciales, ſpecial-gewalt, camerae procuratori largiantur; ſenioris familiae, vel, ſi bini ſint in ipſa conſtituti per ganerbinatus pactum, duorum gentis ſuae ſeniorum, der baumeiſter, ſubſcriptio neceſſaria ducitur.

§. XVII.

Verum ſatis vna ſuperque vidimus haec. Claudo riuos, ne laureolam in muſtaceo videar quaerere, & lecto-

ctorum oculi auresque doleant. Interim ſpondeo, quod nec verbum de hoc argumento feciſſem, niſi fruſtra hanc obſeruationem, in foro nimium quantum frequentem, quaeſiuerint apud IACOBVM WERNHERVM KYLLINGERVM *de ganerbiis caſtrorum* & magnum illum NICOLAVM CHRISTOPHORVM L. B. de LYNCKER in diſſertatione *de ganerbinatibus*, cauſſarum patroni, &, vtrumque anxie verſantes, ſed impranſi diſcedentes, non ſine taedio illos repoſuerint.

§. XVIII.

Quum ergo ganerbinatus, absque principis autoritate expreſſa coaliti, ſint collegia (§. X. *), adeoque iure gaudeant ſigilli ganerbinatus (§. XI.); hoc autem vim publici ſit adeptum (§. XIII.): ſequitur, vt in ſyndicatus litteris generalibus ſigillum eis impreſſum ſufficiat (§. XIV. XVI.), & in ſyndicatus inſtrumento ſpeciali ganerbiorum cunctorum ſubſcriptio non deſideretur, ſed maioris natu vel duorum ſeniorum familiae nomina ei inſcripta plenam faciant fidem, (§. XVI.).

§. XIX.

Verumenimuero ne harum rerum rubigine aut farrigine cuiquam moleſtus ſim, pedem hic figo, ac vulgati illius memor, quod variatio delectet, verborum meorum ſtribligini finis, atque decretum eſto e fori tritura ad armorum ſtrepitus, quibus tota fere Germania reſonat, abire, ac STATVVM animos, belli ardentis cura occupatos, paullo penitius introſpicere.

§. XX.

§. XX.

Non certe ea mente, ac si de ipsorum consiliis bellicis, iisque arduis, agere aut possemus aut vellemus. Nostrum non est huiusmodi caussas cognoscere, multo minus de illis negotiis iudicare, sed satis erit didicisse prudentiae artes, eaque recensuisse consilia, quibus bello imperii sollemni vtuntur STATVS, horumque amici. Oraculorum instar haec veneranda veniunt nobis, neque facile violanda erunt haec sacra, sed saltem, vt STATVVM mira sapientia, ingens labor & innumera inde innotescant incommoda & damna, quae pro CAESARE & IMPERIO & bono publico sustinent, sunt enumeranda. Eum in finem hoc de argumento dicam ea, qua priuatum decet, pietate ac cultu maximo. Postquam enim SERENISSIMIS HVIVS ACADEMIAE NVTRITORIBVS, DOMINIS MEIS LONGE CLEMENTISSIMIS, visum fuit Professoris iuris ordinarii munus mihi demandare; futuro lunae die, qui est XXXI. Octobris, oratione sollemni, loco consueto habendam,

OBSERVATIONES PRACTICAS

QVIBVS

BELLO IMPERII SOLLEMNI

VTVNTVR

STATVVM CONSILIARII

TVM

TVM IN CONVENTIBVS IMPERII ET CIRCVLORVM TVM IN PROVINCIIS OCCASIONE MILITIS TRANSEVNTIS PABVLANTIS HIBERNANTIS CET.

recensere decreui.

Ad quam beneuole audiendam MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VENERANDOS EIVSDEM PROCERES, PATRONOS ET FAVTORES, suis quemque honorum nominibus conspicuum, itemque HONORATISSIMAM, DILECTISSIMAM ET SVAVISSIMAM GENEROSORVM AC NOBILISSIMORVM COMMILITONVM CORONAM ea, qua par est, obseruantia, cultu & humanitate inuito. P. P. die XXX. Octobris cIↃ IↃ CC XXXV.

